



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 22. Protestantium literæ hac in caussa ad Angliæ Reginam & Batavos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. cessum sit jus reformandi aut expellendi  
 A. C. 1709. subditos etiam invitos alterius Reli-  
 gionis.

VII. Observandum tamen, quod hæc transactio duntaxat ad loca in præfenti hoc bello tam recuperata quam recuperanda extendenda sit.

VIII. Hæc ipsa transactio non præjudicet pactis & conventionibus inter ipsos Territorii Dominos eorumque subditos initis, aut post pacem Monasteriensem, Noviomagensem & Rysvicensem, modo quocumque & ubicumque locorum initis, & hucusque observatis causæ autem Ecclesiasticæ vel Consistoriales intra cujuscunque Religionis Diæcesin & Consistorium decidantur.

§. XXII.

*Protestantium literæ ad Angliæ Reginam hac in causa.*

*Fabri l. c.  
 pag. 178.*

Cum Protestantes non modo integram prædictæ clausulæ abrogationem in proximæ pacis instrumento a Galliarum Rege ratam haberi, dictæque pacis articulis inferi peterent, sed etiam hanc controversiam legitimi judicis agnitioni subtrahere molirentur, hinc ad consequendum hoc propositum suum Annæ Angliæ Reginæ, & Batavorum patrociniū implorabant, & præp-  
 mis

mis die undecima Septembris Prote-  
 stantium Principum Legati Ratisbonæ  
 in comitiis agentes ad eandem has de-  
 derunt literas: „Regia Majestas Vestra  
 „per suum Ministrum Carolum de Whit-  
 „worth aliquot abhinc annis hic com-  
 „morantem ad nostras ad Regiam Maje-  
 „statem vestram Anno 1702. humilli-  
 „me exarratas literas ita certos de be-  
 „nevolis suis erga rem Evangelicam a-  
 „nimo nos reddidit, ut luculento hoc  
 „testimonio confisi, Regiam Maje-  
 „statem vestram iterum adire audeamus.  
 „Jam enim præsentissima adest occasio,  
 „ubi Regia Majestas vestra desideriis  
 „Evangelicorum quam optime consu-  
 „lere poterit.

„Instat nimirum forte tempus per-  
 „agendæ cum Gallia pacis, cumque nu-  
 „merosa pacis hujus præliminaria pa-  
 „rum solaminis in causa Religionis no-  
 „bis attulerint, idcirco Regiam Maje-  
 „statem vestram, qua par est, obser-  
 „vantia rogamus, ut velit unacum  
 „Præpotentibus fæderati Belgii Ordi-  
 „nibus, quos & simul hac super re de-  
 „center compellamus, jamjam rei no-  
 „stræ eo magis firmo atque efficaci ad-  
 „jumento esse, quo minor spes est,  
 „quicquam æqui aut justis a Romano-  
 „Catholicæ religioni additis Constati-  
 „bus,

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1709.

Sæc. XVIII. „bus, moto licet omni obice, desuper  
 A. C. 1709. „impetratum iri. Non dedignabitur  
 „ergo Regia Majestas vestra eo curas  
 „suas convertere, ne de præliminari-  
 „bus pacis conveniatur, nisi *de restitu-  
 tione omnium tam in locis jam recuperatis,  
 quam restituendis in Ecclesiasticis & Poli-  
 tics*, quæ intuitu eorum immutata  
 „fuerunt, ad statum Pacis West. in  
 „Imperio expressis verbis cautum sit.  
 „Imprimis vero commendamus Regiæ  
 „Majestati Vestræ abolitionem clausulæ  
 „Art. IV. Pacis Rysvicensis a Statibus  
 „Evangelicis nonnisi respectu Galliæ  
 „agnitæ. Reliqua gravamina in Ec-  
 „clesiasticis vero, quod attinet, facile  
 „passuri sumus, ut ad Deputationem  
 „Imperii remittantur, modo hæc om-  
 „nia, de quibus ita per præliminaria  
 „conventum fuerit, executioni man-  
 „dentur, & de modo exequendi pacem  
 „statuatur. Nulli dubitamus, Regiam  
 „Majestatem vestram justissimis hisce  
 „desideriis nostris locum relicturam.  
 „Quo facto in honorem Divini Numinis  
 „vergente, Regia M. V. gloriam sui  
 „nominis plurimum augebit, & sibi  
 „Dominos nostros clementissimos, &  
 „Committentes magnopere devinciet.  
 „Nos autem Divinam bonitatem insu-  
 „per ardentè invocamus, ut Regiam  
 „M. V. communi causæ, reique Evan-  
 „geli-

„gelicæ fospitem, atque incolumem Sæc. XVIII.  
 „quam diutissime confervet. „ A. C. 1709.

Ejusdem ferme tenoris erant eorum literæ ad Batavos.

§. XXIII.

*Catholicorum gravamina contra Nassovio-Cattimelibocensem Principem Calvinianum.*

Postquam anno priori Cæsar Guilielmi Hiacynthi Principatum Nassovio-Sigenanum, ejusque administrationem Colonienfi Capitulo Cathedrali gravibus ex cauffis demandaverat, occasione ex turbato regimine naçta Friderici Guilielmi Adolphi Principis Nassovio-Cattimelibocensis Adminiftri religione Calviniani Catholicos in Signa urbe degentes acrius quam antea vexarunt, variisque modis eos in libero Religionis exercitio interturbare aggressi sunt: Ut vero eo liberius grassari, simulque sædifragæ vexationis iniquitatem labemque a se amoliri possent, modo procedendi ac querelandi jam a pluribus annis apud Calvinianos hosce Ministros usitato, ac pro norma & praxi universali adoptato utebantur, nempe, ut primum in Catholicos tumultuando & varia contra eorum religionem attentando inciperent, postea debitam reprehenden-

*Theatr. Europ. tom. 18. pag. 173. Gottfrid. cont. Hist. Chron. l. 15. pag. 699.*